

<Breve chronicon de rebus Siculis>

[I. 1] Robertus Guiscardus, qui Regnum istud viriliter et potenter acquisivit, XI habuit fratres, et ultimus ipsorum fuit Rogerius, comes Sicilie, et de nemine aliorum heres superstes hodie apparet. [2] Vixit autem ipse Robertus in dominio ducatus Apulie et Calabriae annis XXVII; qui de prima uxore, que Gallicana fuerat, recepit filium Boamundum nomine; de secunda vero, que Sigilgayta vocabatur et fuerat soror Guisolfi principis Salernitani, genuit filium, quem Rogerium vocavit. [3] Ei in dominio successit, et ipse Rogerius de uxore sua filium suscepit, qui Guillelmus vocatus fuit et in dominio patri suo Rogerio successit et in iuvenili etate sine herede decessit.

[4] Et sic tota terra eorum ad regem Rogerium Sicilie, qui fuerat filius supradicti comitis Rogerii, revoluta est. Qui Rogerius miles strenuus et egregius fuit et multa opera pietatis in Regno suo exercuit. [5] Qui duos filios habuit: primogenitum vocavit Rogerium, et secundum Guillelmum; et unicam filiam, que Constantia vocata est; qui Rogerius in iuvenili etate mortuus fuit et sine legitimo herede. Habuit tamen ex concubina filium, qui Tancredus vocatus fuit, et fuerat ipsa concubina filia comitis Licii.

[II. 1] Guillelmus autem frater eius vocabatur quasi homo inutilis, et sic proceres Regni contra eum rebellaverunt; qui accinctus potentia et fortitudine contra eos se viriliter opposuit et obsedit eos in castro Butere, quod situm est in Sicilia, et motus pietate eos liberos abire permisit. [2] Quibus venientibus in Calabriam receptaverunt se in castro Taberne et contra eundem regem rebellaverunt. Qui vero accinctus fortitudine eos similiter obsedit, et non valentes ei resistere se in manibus suis tradiderunt. [3] Et licentiati, quod de Regno libere cum omnibus bonis suis egrederentur, cum venissent apud civitatem Bari in Apulia, cives Barenses eos receperunt et statim contra regem rebellaverunt. [4] Et rex cum exercitu in manu forti et brachio extento venit et civitatem potenter obsedit et cepit et iterum misericordia motus eos liberos abire permisit. Et ipsi contulerunt se ad imperatorem Constantinopolitanum et alii ad imperatorem Fredericum primum, qui in Lombardia tunc morabatur.

[5] Iterum autem cives Barenses, Tranenses et Sipontini contra eundem regem rebellaverunt et dederunt se imperatori Emanueli Constantinopolitano, qui tunc in ipso imperio regnabat; et misit eis navalem exercitum cum bellatoribus multis. [6] Dominus vero rex hec audiens cum valido exercitu venit et civitatem Bari obsedit, cepit et eam destruxit. Destruxit etiam Sipontum et habitatores ipsius collocari fecit in eo loco, in quo modo est Manfredonia. Dirui etiam fecit muros Trani. [7] Nam habitatores Trani et Siponti non redierunt ad loca propria, nisi post mortem imperatoris Henrici, quos revocare fecit domina Costancia imperatrix uxor eius; et per quadraginta annos exules extiterunt, faciens eos habitare extra sub vite et ficu sua, dimisso ob reverentiam beati Nicolai suburbio, ut peregrini venientes ad orationem illius sancti invenirent victui necessaria. [8] Maiores itaque ipsorum Barensium transtulerunt se cum familiis suis ad dictum imperatorem Constantinopolitanum, qui dedit eis ad habitandum apud civitatem Spita. [9] Qui rex Guillelmus postea Regnum quiete et pacifice possedit et duxit uxorem Margaritam filiam regis Portugalensis, ex qua suscepit filium, quem nomine suo Guillelmum vocavit. [10] Regnavit autem XII annis et mortuus est, et dictus filius suus XI annorum erat in morte patris.

[11] Que regina Margarita habuit consilium cum quibusdam bonis prelatibus Regni, et dixit: «Consulatis michi, quid facere debeam cum puero filio meo». [12] Qui respondentes dixerunt: «Consulimus tibi bona fide et animo, ut revoces omnes exules, quos vir tuus exulavit, et restituas unicuique ipsorum terram suam; et sic filius tuus et tu pacifice et quiete Regnum possidebitis». [13] Et sic factum est, et omnes et singuli ad terram suam redierunt, et siluit omnis terra ab omni scismate et scandalo.

[III. 1] Qui Guillelmus rex secundus a primo prosper et quietus in Regno sic solo verbo terrebat exteros, sic et fama sublimabat alumnos. [2] Unde Ezechiel propheta dixerat: «Tu Cherubin [Cherub Stürner] extentus et protegens in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum»; Cherub fuit in sapientia, extentus fama, deliciosus habundantia, pretiosus in gloria. [3] Vixit in dominio annis XXV et mortuus fuit sine liberis, qui habuerat in uxorem Iohannam filiam regis Henrici Anglie.

[4] Verumtamen in vita sua tres exercitus navales misit: [5] primum in Alexandriam, qui post moram septem dierum, cum in terram descendissent, cum rubore ad vasa se receperunt et sine gloria ad propria redierunt; [6] secundum exercitum ad Maioricam, que in partibus Yspanie, misit, quia rex Sarracenus, qui erat dominus ipsius insule, ad eundem regem recursum habuerat, conquerens se exclusum a subiectis suis: qui dedit eis XL galeas armatas, et, cum venissent ad litora terre regis Aragonum, omnes passe sunt naufragium; [7] tertium vero misit contra imperatorem Emanuele Constantinopolitanum, quia idem imperator noluit sibi dare in uxorem filiam suam, quam ab eo ipse Guillelmus petierat, et quidquam contra ipsum non profecerunt.

[IV. 1] Perdito itaque Regno Ierosolimitano, quod Saladinus rex Egypti et Damasci occupaverat, sola Tyro in dominio Christianorum remanente, in qua Conradus marchio Montisferrati, qui causa peregrinationis tunc ad partes illas se contulit, sub periculo ad tutamentum Tyrensiu[m] se recepit et viriliter et potenter eam defendit; [2] auditoque namque sinistro infortunio, quod acciderat de Regno Ierosolimitano, idem rex Guillelmus misit ducentos milites bene armatos apud Tyrum et magnam quantitatem victualium hiis, que reducerant in Tyro, et multas galeas armatas, quia tunc Saladinus obsederat civitatem Tripolis. [3] Que galee venientes ad portum ipsius Tripolis, Saladinus statim solvit obsidionem et recessit dicens: «Iste sunt galee illius, qui est leo marinus, et nullus contra eum in mari resistere potest».

[V. 1] Regina vero Constantia, que iam erat tradita in matrimonium imperatori Henrico, filio imperatoris primi Frederici, Regnum Sicilie, ad quam venire spectabat, habere non poterat, quia Tancredus, filius naturalis supradicti Rogerii, iam cum consensu et voluntate comitum et baronum ipsius Regni ipsum occupaverat, qui regnavit annis V. [2] Et eo mortuo venit imperator Henricus anno Dominice incarnationis MCXCIII cum valido exercitu, ducens secum dominam Constantiam uxorem suam. [3] Cum venissent ad Marchiam Anconitanam in civitate Esy, peperit ibi filium suum in die festivitatis sancti Stephani. [4] Et ea ibidem cum puero remanente, imperator potenter Regnum intravit et obtinuit, et cepit Guillelmum filium dicti Tancredi, matrem et tres sorores suas et alios XI nobiles Regni et eos captivos duxit in Germaniam. Quos omnes preter mulieres obtenebravit lumine et in carcere retinuit. [5] Qui imperator, revolutis IIII annis post Regnum obtentum, apud Messanam mortuus fuit.

[6] Relicta itaque domina Constantia omnes milites Theotonicos, quos secum vir suus habuerat in Sicilia, remuneravit muneribus et in Theotoniam ad dominum Philippum fratrem ipsius imperatoris remisit. [7] Qui dominus Philippus ad petitionem domini Innocentii pape III omnes nobiles Apulie, qui in Almania erant obtenebrati, cum mulieribus supradictis liberavit, et ad propria redierunt. [8] Puer autem parvus Fredericus, qui erat sub tutela et nutritura uxoris Conradi ducis Spoletini in civitate Fuligni, ad requisitionem matris comes Petrus de Celano misit eundem per comitem Berardum de Laurito consobrinum suum ad matrem suam; quo veniente in festivitate pentecoste, in ecclesia Panormitana unctus fuit in regem, qui tunc quinquennis erat.

[VI. 1] Et in sequenti festivitate sancti Andree ipsa domina Constantia ibidem mortua fuit, relinquens eundem puerum sub tutela predicti domini Innocentii summi pontificis et ecclesie Romane, et custodes ipsius dimisit dominum Bartholomeum archiepiscopum Panormitanum et dominum Matheum Capuanum et dominum Gualterium episcopum Troyanum et Regni Sicilie cancellarium. [2] Et infra spatium modici temporis ipsi domini Panormitanus et Capuanus ibidem in Panormo defuncti sunt, et remansit solus dominus Gualterius, qui curam ipsius pueri prudenter et fideliter egit. [3] Et fere nobiles Regni, qui remanserant, totum Regnum ad opus suum occupabant et neci ipsius pueri intendebant, ut adimpleretur illud Merorini Bricianici dicentis: «Inter capras laniandus et non absorbendus». [4] Multitudo etiam Sarracenorum, qui tunc erant in Sicilia, contra ipsum similiter rebellaverunt, et ad tantam devenit inopiam, quod vix haberet, quid comederet.

[5] Marqualdus vero Theoticus, qui per Henricum imperatorem factus fuerat marchio Anconitanus et comes Romaniole, audita morte dicte imperatricis Constantie, cum terrestri exercitu Regnum intravit et, totam terram usque Salernum occupans, cum navali exercitu ab ipso Salerno exivit, ferens se usque Trapanum. [6] Qui tam a Christianis quam a Sarracenis pro maiori parte receptus fuit, dicens se tutorem esse pueri auctoritate patris, et cum exercitu suo usque Panormum properavit. [7] Cui dictus Troyanus episcopus et cancellarius viriliter et potenter cum exercitu occurrit, et cum ipso prelio commisso in terram Montisregalis, ipse marchio fugatus fuit, et nichilominus preter civitatem Panormitanam omnia loca Sicilie obtinuit. [8] Contra quem etiam dictus cancellarius processit, et cum eodem prelio commisso in territorio terre Randacii, similiter idem marchio in campestri bello devictus fuit, et nichilominus omnes Siculi a sua fidelitate non discedebant. [9] Et cum venisset ad civitatem Pactensem, ut Messanam civitatem reciperet, ad quam a civibus vocabatur, in dicta Pactensi civitate mortuus fuit, et tunc pro maiori parte cancellarius totam Siciliam recuperavit.

[VII. 1] Processu vero temporis, procurante eodem Troyano episcopo et cancellario, Fredericus rex duxit in uxorem dominam Constantiam filiam regis Aragonum, que fuerat uxor quondam regis Ungarie, quam duxit in Siciliam cum navali exercitu frater suus comes Provincie anno Dominice incarnationis MCCVIII, mense augusti. [2] Qui post modicum tempus idem comes in Panormo mortuus fuit et maior pars militum, qui cum ipsa venerunt. [3] Et secundo anno disponsationis ipsius domine filium recepit a viro suo, qui vocatus fuit Henricus. [4] Que malo consilio ducta una cum viro eundem cancellarium, qui iam factus fuerat episcopus Cathaniensis, a curia eorum excluderunt. [5] Tertio vero anno post adventum ipsius domine dominus Innocentius coronavit imperatorem Rome dominum Ottonem, qui fuerat ex gente ducum Saxonie, qui in ipsa coronatione iuravit eidem domino pape, ut aliquo modo Regnum Sicilie non intraret. [6] Et cum rediret et esset in civitate Orte, ad

instantiam et invocationem quorundam magnorum virorum Regni Regnum intravit et usque Calabriam terram obtinuit. [7] Interim tamen idem dominus Innocentius papa eundem excommunicavit et scripsit principibus Theotonie, tam clericis quam laicis, ut omnes contra istum rebellarent. [8] Et hoc audito ipse dominus Otto in mense septembris prime indictionis post coronam acceptam in Theotoniam rediit.

[9] Et interim quidam nobiles ipsius Theotonie ad eundem Fredericum venere exponentes, quod unanimi voluntate ipsum imperatorem eligere volebant. [10] Qui cum sex galeis iter marinum arripuit et divertit Rome ad eundem dominum papam, et ipse animavit et confortavit eum ad eundem. [11] Qui veniens civitatem Ianue et abinde desperate fortune se committens Lombardiam intravit, que tota ipsa Lombardia preter Cremonam et marchionem Montisferrati cum domino Ottone corde et animo erat. [12] Et inde transgrediens, sicut melius potuit, Theotoniam pervenit, et coram facie sua dominus Otto fugiebat et ad ultimum recepit se in Brusuyco civitate, ubi ab eodem puero cum aliis principibus obsessus fuit. [13] Et non post multum tempus ibidem mortem recepit, et sic plenum dominium idem puer totius Alamanie obtinuit.

[VIII. 1] Anno itaque Dominice incarnationis MCCXIII, mense novembris IIII indictionis, sancta Romana ecclesia residente Innocentio papa III synodum celebravit apud Lateranum, in qua fuit innumerabilis multitudo prelatorum, ubi tractatum fuit de Terre Sancte recuperatione. [2] Et eadem synodo facta idem Fredericus misit Berardum de Castanea archiepiscopum Panormitanum et quendam magnum virum Theoticum, qui comes Albertus vocabatur, qui uxori sue propinquitate carnis attinebat, ut eandem in Alamaniam ducerent. [3] Que domina mense iunii eiusdem indictionis cum sex galeis a Messana usque ad Sanctam Eufamiam cum filio suo, qui tunc quinquennis erat, et supradictis archiepiscopo et comite pervenit, et abinde ipsa per terram ivit et filius cum galeis usque Ianuam. [4] Nam cum ipsa esset in Lombardia, misit puero filio suo ut ad se veniret, et sic insimul in Theotoniam profecti sunt ad virum et patrem suum. [5] Et ibidem per octo annos et amplius moram trahens, dimisso ibidem loco sui ipso puero, a domino Honorio papa ad coronationem vocatus est.

[IX. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXI, mense novembris, indictione VIII, papa Honorius coronavit apud Sanctum Petrum imperatorem Fredericum, filium imperatoris Henrici et imperatricis Constantie, quem proditores Regni Sicilie expulerant, et secesserat in Alamaniam, quem Theotonicis receperunt et honoraverunt tamquam dominum suum, cum quo coronata fuit dicta uxor eius Constantia, filia regis Aragonum, et receptis coronis statim intraverunt Regnum Sicilie, ubi multos invenerunt rebelles, qui nolebant se submittere imperatori. [2] Quos omnes gratia Dei cito superavit et deiecit, exceptis quibusdam munitioibus Sarracenorum Sicilie, que erant in altis montibus posite, que omnino erant inexpugnabiles, et nemo ad eas accessum habere poterat.

[X. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXI, in mense augusti VIII indictionis, exigentibus peccatis Christianorum, omnes quotquot erant in exercitu Christianorum, in Egypto, non imminente aliqua pugna, a Sarracenis capti fuerunt, exceptis illis, qui in Damiata remanserant. [2] Pro quorum liberatione civitas ipsa, videlicet Damiata, restituta fuit Sarracenis eodem mense.

[XI. 1] Anno Eiusdem incarnationis MCCXXII indictionis X, mense decembris, dominus Nicolaus, episcopus Tusculanus, missus a papa Honorio, venit ad imperatorem in Siciliam, et statim idem imperator iter arripuit et ivit ad eundem papam cum eodem episcopo. [2] Et in reversione sua idem episcopus consecravit ecclesiam Cusentinam, residente in ea Luca archiepiscopo, in cuius etiam consecratione dominus imperator interfuit.

[XII. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXII, mense aprilis X indictionis, supradictus papa Honorius et cardinales habuerunt colloquium apud Verulam civitatem Campanie cum eodem imperatore, ubi multa tractata sunt de recuperatione Terre Sancte.

[XIII. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXII, mense octobris sive novembris XI indictionis, dominus Pelagius episcopus Albanensis et Iohannes rex Ierosolimitanus et magnus magister Hospitalis, qui capti fuerant in Egypto, insimul applicuerunt Brundisium, ubi imperator, qui tunc venerat a Sicilia, obviavit eis et eos devote recepit. [2] Et inde euntes venerunt et habuerunt colloquium cum domino papa Honorio apud Ferentinum civitatem Campanie, ubi tractatum fuit, et imperator duxit in uxorem filiam dicti regis Iohannis. [3] Nam imperatrix Constantia, uxor eius, iubente Domino, mense iunii X indictionis de hac luce subtracta est apud Cathaniam civitatem Sicilie et in Panormo sepulta.

[XIV. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXV, mense augusti XIII indictionis, Fredericus imperator habuit colloquium apud Sanctum Germanum cum domino Pelagio, episcopo Albanensi, et cum domino Gualone, cardinalibus, ubi iuravit ut in futuro mense augusti indictionis XV deberet ad transmarinas partes

transire. [2] Eodem mense videlicet augusti XIII indictionis et eiusdem incarnationis, idem imperator misit Landonem Reginum archiepiscopum, Iacobum Pactensem episcopum, Richerium Melfiensem episcopum et comitem Henricum de Malta cum XX galeis ad transmarinas partes, ut conducerent filiam regis Iohannis predicti, quam duxerat in uxorem. [3] Qui cum eadem puella mense octobris XIII indictionis ad portum Brundusii regressi sunt, et mense novembris eiusdem indictionis eam apud eandem civitatem desponsavit.

[XV. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXVI, mense aprilis XIII indictionis, dictus imperator intravit Lombardiam cum parvo exercitu, ubi disposuerat habere colloquium cum filio suo rege Henrico et aliis principibus super recuperatione Terre Sancte. [2] Et quedam civitates Lombardie, que non fuerunt fideles apparuerunt et non permiserunt transire et filium et alios Theotonicos ad imperatorem, et sic imperator ad Regnum Sicilie regressus est mense augusti eiusdem indictionis, [3] et mense ianuarii XV indictionis una cum uxore sua transivit per Calabriam in Siciliam.

[XVI. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXVII, mense septembris prime indictionis, dictus imperator magnum fecit apparatus et voluit transfretare cum exercitu Christianorum, qui tunc temporis convenerat de universis mundi partibus in Brundusio; et superveniente infirmitate transire non potuit. [2] Nichilominus tamen non tardavit mittere exercitum cum patriarcha Ierosolimitano, qui ecclesie Romane legatus ad partes Syrie festinabat, et ipse apud Ydrontum civitatem Apulie infirmus remansit. [3] Et sequenti mense novembris eiusdem indictionis, papa Gregorius, qui successerat Honorio, congregatis omnibus prelatis Italie in octava sancti Martini supradicti mensis apud Romam, in ecclesia sancti Petri ipsum excommunicavit Fredericum imperatorem, eo quod non transierat in termino constituto. [4] Exercitus autem Christianorum, qui transierat in eodem passagio ad partes Syrie, edificavit castrum Sydonie et Cesarie.

[XVII. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXVIII, mense aprilis prime indictionis, imperatrix Elisabeth, uxor Frederici imperatoris, filia regis Iohannis, apud Andriam civitatem Apulie XXVI die supradicti mensis aprilis peperit filium, quem concepit ex viro suo imperatore Frederico, quem dictus imperator pater suus statim, ut audivit eius nativitatem apud Troyam civitatem Apulie, ubi tunc erat, imposuit ei nomen Conradus. [2] Mater autem sua, X die postquam peperit eum, apud civitatem eandem migravit ad Deum. [3] In cuius obitu interfuerunt omnes prelati Regni Sicilie, qui convenerant ad generalem curiam Baroli, quam idem imperator ordinavit apud eandem terram, in qua multa disposuit de Regno suo Sicilie, eo quod ipse transire volebat ad partes Syrie, ut redimeret votum suum.

[4] In sequenti vero mense iunii huius supradicte incarnationis et indictionis, dictus imperator, assumptis quibusdam fidelibus Regni Sicilie, cum XL galeis in vigilia sancti Petri supradicti mensis iunii exivit de portu Brundusii, et sequenti die in festo eiusdem sancti eiusdem festi applicuit Ydrontum, civitatem Apulie. [5] Deinde eo sero exeunte de Ydronto sequenti die venimus ad insulam Romanie, que dicitur Athanos. [6] Et exinde navigantes altera die circa horam sextam venimus ad insulam et castrum, quod dicitur Corpho. [7] Ubi morati usque sero navigavimus inde et sequenti die, post solis occasum, venimus ad Portum Guiscardum. [8] Ubi quiescentes illa nocte, altera die circa horam sextam applicuimus ad insulam Chefalonie, in qua erat comes dominus Madius, qui erat Apulus, ubi omnia necessaria parata invenimus et ab eodem ministrante comite. [9] Circa autem solis occasum et exinde recedentes et fluctibus maris intumescens, sequenti die circa horam nonam venimus Methonam. [10] Et ibi quiescentes usque mane, deinde circa ortum solis recedentes eo sero venimus ad Portum Qualcarum. [11] Et ibi quiescentes per totam noctem, in mane inde exeuntes venimus ad insulam Cederi. [12] Ubi morantes usque ad auroram sequentis diei, exivimus inde et navigavimus versus Cretam, et circa horam vespertinam vel serotinam applicuimus ad eandem insulam, ad locum qui dicitur de Suda, ubi morati fuimus per totam noctem et sequentem diem, videlicet nonam diem iulii eiusdem indictionis. [13] Deinde X huius mensis cepimus navigare circa litus ipsius insule, et XI ipsius circa horam tertiam venimus ad quandam civitatem ipsius insule, que dicitur Candida, subtus quam descendimus, et fuimus ibi per totam diem illam et noctem. [14] Sequenti vero die, videlicet XII huius mensis iulii, exivimus de Creta et intravimus pelagum, et XIII sequenti huius mensis iulii venimus ad insulam Rodii et fatigati aliquantulum requievimus illic per totam noctem huius XIII diei. [15] Et navigantes inde eo die, videlicet XIV huius mensis iulii, venimus ad ipsam civitatem, que dicitur Rodum, circa horam nonam, et vero descendentes ibi tamen mansimus in portu per totam diem illam et noctem, et in mane recedentes exivimus circa litus Licie provincie. [16] Sero venimus apud Patheram civitatem, in qua natus fuit confexor Domini Nicolaus, et requievimus ibi per totam noctem. [17] Et in mane cepimus navigare, et eo die in sero applicuimus ad portum de Castro Rubeo, et fuimus ibi per totam noctem. [18] Et in mane recessimus, inde circa horam tertiam vidimus Mirram civitatem, in qua divinis claruit miraculis et episcopus fuit. [19] Et post horam nonam ipsius diei venimus ad portum de Phinica, ubi invenimus aquas frigidissimas ad

habundantiam de magnis fluminibus emanantes, et ibi morantes die illa et altera aliquantulum recreata sunt ibi corpora nostra.

[XVIII. 1] Ac deinde XVIII dicti mensis iulii post solis ortum cepimus navigare versus insulam Cypri, et intrantes pelagum XX ipsius mensis pervenimus ad dictam insulam, et sequenti die intravimus Nimocium, civitatem ipsius insule. [2] Et post secundum vel tertium diem Henricus rex cum omnibus militibus suis venit ad eum apud Nimocium. Nam, ex parte imperii, eius homo esse debebat et ei de homagio tenebatur. [3] Verum cum ipse rex esset pupillus, quidam de terra sua consumpserant omnia bona sua. [4] Qua de causa imperator requisivit eos, ut facerent rationem de terra regis. [5] Ipsi vero timentes, quod non possent sibi plene reddere rationem, quinto vel sexto die in nocte dimissis ibi tentoriis et rebus suis clam nobis nescientibus recesserunt et iverunt apud Nicosiam, civitatem ipsius insule, et ceperunt munire tria castra, que sunt in eadem insula, dicentes: «Facies nostra de cetero non videbit faciem imperatoris». [6] Imperator autem, cum hoc vidisset, moratus fuit apud Nimocium usque in XVII diem sequentis mensis augusti prime indictionis. [7] Deinde equitavimus versus Nicosiam predictam, ubi occurrit nobis princeps Antiochenus, et, morantibus ibi aliquantis diebus, illi, qui rebellaverant, descenderunt omnes ad pedes imperatoris.

[8] Ordinato itaque Regno illo et recepto ab omnibus fidelitatis iuramento, secundo die mensis septembris II indictionis arripuimus iter versus Syriam. [9] Et eo die venimus ad Famagustam civitatem et sequenti die intravimus galeas et incepimus navigare versus Syriam. [10] Et quinto ipsius mensis applicuimus Betthoron et descendentes Beriti et Sydonie et Sarapte VII et per portum ante auroram venimus Tyrum. [11] Et ibi non moram facientes eo die applicuimus Accon, ubi invenimus exercitum Christianorum, qui edificaverat castrum Sydonie et Cesarie.

[XIX. 1] Descendentibus autem nobis ibidem, cepit imperator tractare, quo ire deberet cum exercitu. [2] Interea soldanus Babilonie, qui de Egypto venerat in Syriam et morabatur apud Sichen, que nunc dicitur Neapolis, misit quendam admiratum magnum in Accon cum magno exenio ad imperatorem, et per eundem nuntium promisit sibi restituere Terram Sanctam Ierusalem cum omnibus pertinentis ipsius Regni, que omnia captiva detinebat nepos eius. [3] Imperator itaque remisit eundem nuntium et cum eo misit nuntios suos, per quos destinavit eidem soldano exenia magna. [4] Interea preparavit se imperator et equitavit cum exercitu Christiano ad reedificandam Ioppen, et XVI novembris eiusdem secunde indictionis imperator cum exercitu applicuit Ioppen et cepit reedificare viriliter castrum ipsum. [5] Et discurrentibus hinc inde nuntiis, qui concordiam inter eos tractabant, mense martii ipsa concordia ad effectum deducta est adeo, quod soldanus ipse pacifice et quiete restituit sibi civitatem Ierusalem et aliquam partem ipsius Regni.

[6] XVII vero die ipsius mensis martii, in illa die dominica, qua cantabatur: «Letare, Ierusalem, in diem, festum agite omnes, qui diligitis eam», hoc factum fuit. [7] Ipse imperator cum omni exercitu Christianorum civitatem ipsam gaudentes intraverunt. [8] Et qui scripsit personaliter interfuit et a veritatis tramite non discordat, cum oculis suis viderit et de causa certe scientie testimonium perhibeat quantum enim in storiis legitur. [9] A tempore Heraclii et Corradi imperatorum nullus imperator civitatem ipsam intravit, nisi ipse Fredericus, quam Christiani pacifice et quiete possederunt, quousque Crosminii supradicti ipsam occupaverunt. [10] Nunc autem in anno MCCLXXII veniat in medium angelus septimus tuba caniturus et dicat: «Ierusalem, surge et sta in excelso et vide iocunditatem, que veniet tibi per Dominum Deum tuum ab Oriente, et noli flere, quia cito veniet salus tua. [11] Leva igitur in circuitu oculos tuos et vide exercitum Orientalium Christianorum, qui congregabitur ad revelationem et gaudium tui. [12] Inundatio enim camelorum ipsorum Orientalium operiet terram: dromedarii Madian et Ephraonisti apparebunt, aurum et thus deferent, ut tuam edificent ruinam».

[13] Ipse itaque imperator Fredericus mense aprilis supradicte indictionis reversus est in Acconensem civitatem, ubi audivit, quod papalis exercitus intraverat Regnum Sicilie et usque Capuam totam terram occupaverat. [14] Ipsam vero civitatem Capuanam obtinere non potuerunt, sed conversi obsederunt castrum Cayatie, quod ibi prope est, et a calendis iunii ipsius indictionis obsidionem ipsam ibidem firmaverunt. [15] Erat enim ibi cum imperatore magnus exercitus militum Theotonicorum, qui milites satis ab ipso imperatore rogati fuerunt, ut cum ipso in Regnum Sicilie venirent. [16] Qui nullatenus id sibi concedere voluerunt et conductis navibus usque ad Venetiam navigare disponebant et abinde in terram suam proficisci. [17] Nam cum navigare cepissent, occurrit eis ventus contrarius, qui contra voluntatem navigantium in ipsis ad portum Brundisii applicuerunt.

[XX. 1] Imperator autem supradictus primo madii supradicte indictionis cum VII galeis armatis, quas comes Henricus de Malta illis diebus de partibus Regni Sicilie secum duxerat, mare intravit et X iunii ad portum Brundisii applicuit. [2] Et deinde copiosum exercitum tam de regnicolis quam de Theotonicis congregare cepit, et ultimo augusti de terra Baroli recessit. [3] Et cum vellet intrare Fogiam, ipsa Fogia cum Troya et Casali Novo

et Sancto Severo cum terra Civitatis statim contra ipsum rebellaverunt et nec ipsum nec suos voluerunt recipere nec forum rerum comestibulum sibi facere voluerunt. [4] Et octavo septembris sequentis III indictionis ad civitatem Capuanam venit. [5] Et hoc audito dominus Pelagius cardinalis, qui legatus erat in papali exercitu, cum rege Iohanne Ierosolimitano, qui ipsi exercitui prefuerat, soluta ipsa obsidione Cayatie statim recesserunt et ad terram Tyani se contulerunt. [6] Imperator vero cum omni exercitu suo apud terram Calvi se contulit, et illi audito adventu suo statim de terra Tyani recedentes in Campaniam se contulerunt. [7] Verumtamen dominus Pelagius supradictus cum aliquibus militibus in Monte Casino remansit. [8] Et imperator totam terram usque Ceperanum recuperavit excepta civitate Sore, que se sibi submittere noluit, que vi capta fuit et igne combusta; castrum vero ipsius terre habere non potuit. [9] Et hoc totum factum fuit per totum mensem novembris eiusdem tertie indictionis.

[10] Volens itaque imperator hiemis asperitatem vitare, totum exercitum Theotonicorum licentiavit et muneribus honoravit, et ipse cum familia sua in Apuliam rediit. [11] Et fecit destrui muros Troye et fossata supradictarum terrarum Capitinate, et ab eis innumeros obsides recepit pro rebellionem, quam in faciem suam exercuerunt.

[12] Superveniente vero mense martii, patriarcha Aquilenus et archiepiscopus Salceburgensis cum episcopo Ratisponensi, qui postea factus fuit imperii cancellarius, et dux Austrie cum duce Maranie et duce Carunthie pro tractanda pace inter apostolicam ecclesiam et imperatorem venerunt. [13] Et Deo cooperante et ipsis laborantibus mense augusti eiusdem indictionis pax ipsa apud Ceperanum completa fuit, domino papa Gregorio cum omnibus cardinalibus suis in civitate Anagnie existentibus. [14] Interim tamen dux Austrie catholicus christianus apud Sanctum Germanum, anno Domini MCCXXX et X anno domini imperatoris Frederici, die dominico XXVIII mensis iulii eiusdem III indictionis vitam finivit, qui in Monte Cassino sepulturam recepit. [15] Nam dominus imperator cum modica familia sua in principio mensis septembris ad supradictum dominum papam Gregorium in ipsam civitatem Anagnie se contulit, et insimul comederunt, cum sua benedictione recessit et in Apuliam reversus fuit. [16] Et tunc edidit constitutiones suas, que hodie in Regno habentur.

[XXI. 1] Revoluta itaque anno misit dominum Riccardum Filagerium marescalcum suum cum exercitu militum regnicolarum ad insulam Cypri. [2] Non valentes ibidem descendere, quia dominus Iohannes de Berito cum militia magna eis se opposuit, qui navigantes versus Syriam apud Beritum in terram ipsius domini Iohannis descenderunt et habita civitate castrum ipsius terre habere non potuerunt, quia munitum erat defensoribus et aliis rebus necessariis. [3] Vertente autem mense madii ipsius anni, ipse dominus Iohannes de Berito de partibus Cypri cum militia sua ad civitatem Acconensem navigavit. [4] Cui adiuncti sunt omnes Acconenses, et congregato exercitu obsidionem Beriti solverunt. [5] Ipse vero dominus Riccardus assumptis galeis et navibus, quas secum habebat, ad insulam Cypri, que defensoribus evacuata erat, cum exercitu suo se contulit ad ipsam: pro sue voluntatis arbitrio totam obtinuit. [6] Postmodum namque supradictus dominus Iohannes de Berito collecto exercitu transmarino cum navibus Ianuensium ad partes Cypri profectus est, et prope civitatem Nicosie ambo cum exercitu eorum pugnaverunt. [7] Et devictus est dominus Riccardus cum exercitu suo, ubi bene quadringenti milites capti, qui occisi fuerunt. [8] Et idem dominus Riccardus per fugam cum aliquantis militibus evaserunt et recursum habuerunt ad galeas, quas in vicino mari habebat, et cum ipsis se contulerunt apud Tyrum, quam dominus Riccardus pro parte imperatoris munitam tenebat.

[XXII. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXXII, indictionis sexte mense iulii, aliqui stulti cives Messanenses pro nichilo et sine causa contra imperatorem nisi sunt rebellare. [2] Ad quam civitatem sequenti mense madii imperator cum familia sua accessit et omnes eos tam maiores quam minores in maiori ecclesia Messanensi assecuravit et omnes offensas, quas fecerant, totaliter remisit. [3] Et aliquibus revolutis diebus, non sequens mores et vestigia magnorum principum, quorum verba retrorsum non habent, quosdam ipsorum turpi morti tradidit, quosdam incarceravit, et alii per fugam evaserunt. [4] Et illud idem fecit in quibusdam aliis terris Sicilie, destruens totaliter terram Centurbii et Trayne et Montis Albani et cuiusdam alterius terre, que modo in memoria non existit. [5] Vertente itaque alio mense madii videlicet VII indictionis ad partes Apulie rediit et abinde iter arripuit eundi ad dominum Gregorium papam, qui tunc in Reatina civitate cum cardinalibus suis morabatur, et habito colloquio insimul in Apuliam rediit.

[XXIII. 1] Anno Dominice incarnationis MCCXXXV, indictionis IX mense aprilis, a partibus Apulie recessit ducens secum Conradum filium suum, qui tunc septennis erat, et per viam Marchie Anconitane pervenit ad civitatem Aremini. [2] Et deinde cum sex galeis armatis, quas habebat, ad partes Aquileye se contulit et Theotoniam intravit, quia filius suus Henricus, qui ibi erat, iam contra patrem rebellare nitebatur. [3] Principes vero imperii, tam clerici quam layci, imperatori adhibebant preter ducem Austrie et Sürie, qui cognatus ipsius Henrici erat, quia uxor illius soror ipsius ducis erat. [4] Ipse vero Henricus in quodam munitissimo castro cum

paucis se recepit et non valens resistere ad pedes et misericordiam imperatoris descendit. [5] Quem statim imperator cum magno conductu ad partes Aquileye transmisit, et per mare cum duabus galeis usque ad Sipontum pervenit, ubi receptus fuit et in castro Sancti Felicis sub bona custodia collocatus extitit. [6] Et abinde mandavit custodibus ipsius, ut ad castrum Necastrum et Calabriam mitteretur. [7] Qui per duos annos ibi demorans, precepit ut iterato ad castrum Sancti Marci in Valle Gratis reduceretur. [8] Qui veniens in montem, qui est inter ipsum Nicastrum et Marturanum, dedit se in terram de equo et quasi mortuus fuit. [9] Et ducentes eum custodes sui sicut melius potuerunt usque Marturanum, ibidem vitam finivit et in ecclesia Cusentina sepultus fuit.

[10] Imperator itaque cum exercitu suo ad partes Austrie et Stirie proficiscens, illas suo dominio subiugavit preter quatuor castra munita, in quibus ipse dux cum quibusdam complicibus suis se receperat. [11] Et einde ad partes Lombardie cum valido exercitu venit, et alique civitates ipsum ut dominum receperunt. [12] Alie vero sibi contradicentes suis mandatis obedire noluerunt, immo congregato exercitu cum ipso pugnaverunt. [13] Qui turpiter devicti sunt, et alii ex eis capti extiterunt et in Regnum Sicilie captivi missi sunt et in carcerem reclusi, et multi interfecti. [14] Nam caput rebellionis Mediolanum fuit, ut adimpleretur illud Merorini Bricctanici, qui dixerat: «Caput Ligurum tenui bello quassabit». [15] In qua Liguria per quadriennium bellando moratus fuit et tamen totam ipsam provinciam pro sue voluntatis arbitrio obtinere non valuit.

[XXIV. 1] Anno Domini MCCXXXVIII, III indictionis, dominus Gregorius papa nonus, postquam excommunicavit in ecclesia sancti Petri imperatorem, privatim et non publice misit dominum Iacobum Prenestinum episcopum, qui tamquam simplex monachus usque Ianuam perrexit. [2] Primo enim dominus Otto cardinalis ad illas partes legatus se contulerat; qui ambo prelatos illarum partium citaverunt, ut omnes accederent ad concilium generale, quod dominus Gregorius papa Rome celebraturus erat. [3] Qui venientes usque Ianuam, comunitas ipsius civitatis armavit eis multas galeas suas, ut eis obviarent, et dum irent, invenerunt eas in mari in eo loco, qui dicitur Mons Christi. [4] Et dum pugnant ad invicem, succubuerunt Ianuenses, et preter quatuor galeas, que per fugam elapse sunt, omnes alie capte extiterunt a galeis imperatoris, in quibus ipsi duo cardinales et multi alii prelati cum omnibus aliis capti fuerunt. [5] Que galee cum omnibus ipsis personis usque Neapolim pervenerunt. [6] Quos omnes in curiali custodia custodiri fecit et neminem illorum interfici iussit, sed revoluto aliquo tempore eos omnes liberos, tam cardinales quam omnes alios, abire permisit.

[XXV. 1] Mense vero augusti eiusdem tertie indictionis dominus Gregorius papa Rome defunctus fuit, et per senatores urbis omnes cardinales in custodia positi sunt, ut cito de summo pontifice providerent. [2] Et infra duos menses elegerunt dominum Goffridum de Mediolano cardinalem, qui non vixit in papatu nisi per XVII dies et mortuus fuit. [3] Statim vero omnes cardinales disgregati sunt, et quilibet eorum eligit sibi locum, in quo morarentur. [4] In revolutione autem anni, mense iunii IIII sequentis indictionis apud Anagninam civitatem Campanie congregati sunt, et spirante Domino in festivitate Petri et Pauli unanimes et concordantes elegerunt in summum pontificem dominum Sinibaldum cardinalem Ianuensem, qui vocatus fuit Innocentius III. [5] Et dum medio tempore haberetur tractatus pacis cum imperatore, ipse dominus Innocentius caute et privatim misit potestati Ianue, ut mitteret sibi sex galeas armatas. [6] Quibus venientibus, cum aliquantibus cardinalibus in partibus Corneti eas intravit, alii autem cardinales et clerici familie sue in terra manserunt. [7] Quibus omnibus imperator, qui tunc in partibus illis erat, securum conductum dedit usque Ianuam. [8] Qui omnes cum ipso summo pontifice usque Lugdonum pervenerunt anno incarnationis MCCXLIII, mense iulii II indictionis, in vigilia beate Marie Magdalene. [9] Pontificatus domini Innocentii pape III anno III, XVI kalendas augusti, in ecclesia Lugdonensi idem imperator fuit semptentialiter depositus, sex annis ante mortem ipsius, et sententia excommunicationis publicata fuit de mense martii sequentis III indictionis. [10] Revoluto itaque anno cum prelatibus occidentalium partium synodum celebravit, in qua a culmine solii imperatoris deposuit eundem, existentibus ibidem nuntiis ipsius imperatoris, quos illuc miserat; a robore autem imperii tam Germanie quam Italie non decidit, quamdiu supervixit.

[XXVI. 1] Interim quidam nobiles Regni de familia sua inter se iuraverunt, ut ipsum interficerent, quod ad aures suas pervenit, et aliqui ipsorum capti fuerunt et alii per fugam elapsi sunt. [2] Ceteri vero in castro Caputaquensi se receperunt, et per non longam obsidionem ad manus suas pervenientes crudelem mortem insimul parvuli filii sui receperunt.

[3] Postmodum vero in Lombardiam rediit, et Parmensis civitas, que cum ipso corpore et spiritu esse videbatur, eum recipere noluit, immo manifeste rebellavit. [4] Quam continua obsidione obsedit et civitatem contra eam edificavit, quam Victoriam appellavit. [5] In qua non multis revolutis mensibus a civibus Parmensibus turpiter devictus fuit, multis de suis ibidem captis et interfectis, et multo rubore confusus infirmus in Regnum rediit. [6] Et gravatus eadem infirmitate in medietate mensis decembris anno Dominice incarnationis MCCLI IX indictionis apud Florentinum, modicam terram Capitinate, debitum carnis solvit.

[XXVII N. 1] Cuius ossa Panormum delata sunt et ibidem recondita, relinquens post mortem suam Fredericum, filium dicti Henrici filii sui, et alium Fredericum filium suum, quem de Anglica uxore susceperat. [2] Ille vero Fredericus nepos suus non multis revolutis diebus in ipsa Capitinata mortuus fuit.

[3] Cives vero Neapolitani et Capuani cum comitibus Casertano et Acerrarum non sano consilio ducti contra Conradum filium suum superstitem rebellaverunt et vicinos suos spoliabant. [4] Mense autem ianuarii X indictionis ipse Conradus quasi furtive cum quinque galeis portum Siponti applicuit, de quo sanctus pater abbas Ioachim prophetaverat et dixerat: «Cum mortua fuerit aquila», idest imperator, «ex illa egredietur alia, que magis intendit affligere ecclesiam, quia et prima quondam aquila regnum furtive intravit».

[5] Sed cito corruet, qui totum Regnum pacifice et quiete recepit exceptis civitatibus Neapolis et Capue, que eum recipere noluerunt. [6] Qui tamquam malignus spiritus fratrem suum supradictum Fredericum patris et Anglice uxoris sue in castro Sancti Felicis occulte interfici iussit. [7] Deinde obsedit civitatem Neapolim et Capuam et cito eas ad mandatum suum recepit exclusis tamen quibusdam civibus ipsarum civitatum; reliquas vero sub suo retinuit imperio vel dominio. [8] Mense autem februarii proxime sequenti XIII indictionis ipse Corradus infirmari cepit et XXI madii eiusdem indictionis in castris, quibus morabatur, prope civitatem Melfie obiit. [9] Vixit autem XXVI annis et XXVI diebus, cuius ossa Messanam delata sunt et ibi, ut dicitur, sepulturam ecclesiasticam non receperunt.

[10] Sane sequenti mense octobris XIII indictionis dominus Innocentius papa III Regnum intravit et eo residente in civitate Neapoli totum ipsum Regnum pro sue voluntatis arbitrio obtinuit. [11] Sarraceni namque Lucerie vocaverunt ad se Manfredum filium naturalem dicti quondam imperatoris et ipsum in dominum receperunt. [12] Dominus vero Octavianus cardinalis, qui tunc legatus erat in Regno, congregato exercitu magno, contra ipsum Manfredum processit. [13] Et ipse Manfredus cum exercitu suo ei viriliter obiavit in Guardia Lombardorum, et non multis revolutis diebus ad mandatum Ecclesie idem Manfredus se dedit. [14] Et procurante Riccardo duce de Maldeburg ipse Manfredus contra iuramentum factum Ecclesie rebellavit, quia ipse marchio quandam principalem partem exercitus in manibus suis tradidit. [15] Et sic resumtis viribus totam Apuliam obtinuit.

[16] Dictus vero dominus Innocentius papa mense decembris eiusdem indictionis in Neapolitana civitate diem clausit extremum, cui successit in pontificatu dominus Raynaldus Hostiensis episcopus, qui vocatus fuit Alexander. [17] Qui audiens fraudem ipsius marchionis in fine mensis madii a Neapolitana civitate cum omnibus cardinalibus suis recessit, et contulerunt se apud Anagniam civitatem Campanie. [18] Et sic de facili dictus Manfredus pro sue voluntatis arbitrio dictum Regnum obtinuit.

[19] Nam sanctissimus pater Ioachim abbas inter cetera, que imperatori Henrico de nato suo Frederico, qui tunc triennis erat, super dictis Meronini Brittanici et Erithee Babilonice prophetavit, de predicto Manfredo ait: «Dico ego, quod primus et secundus nidus deficient et naturalis aliquis secundo adherebit». [20] De primo enim nido, videlicet de uxore prima, que Yspana fuit, exivit Henricus. [21] De Ierosolimitana Elisabeth processit Conradus, cui ipse Manfredus successit. [22] Dixerat etiam de eodem: «Finis adulteri interitus casualis». [23] Secundum enim morem scripture divine tres dicuntur mortes, videlicet naturalis, accidentalis et casualis. [24] Naturalis est illius, qui ex infirmitate in lecto deficit; accidentalis illius, qui subito moritur; casualis, qui excerpta causa finit dies suos. [25] Et inde dictus Manfredus, licet valde strenuus, ex pugne causa dies suos finivit prelio prope Beneventum commisso vel habito cum rege Karolo, filio illustris regis Francie, Andegavie, Provincie et Forcalquerii comite, cui Regnum Sicilie per apostolicam sedem ad annum censum concessum fuerat, eo quod dictus Manfredus occupaverat ipsum et tamquam occupator tenebatur.

[XXVII V. 1] Quid imperator predictus ultimo vite sue solempne condidit testamentum in forma et modo subscriptis. [2] Forma testamenti imperatoris Frederici secundi.

[3] In nomine Domini amen. Anno eiusdem incarnationis MCCL, die sabati XIII decembris IX indictionis etc.

[4] Primi parentes incauta transgressio sic posteris leges conditionis induxit, ut eam nec diluvii proclivis ad penam effusio effrenis abduceret nec baptismatis tam salubris unda liniret, quin nostre facultatis eventus mortalibus, senescentis evi precinctis lassivia, transgressionis in penam culpa transfusa, tanquam cicatrix ex vulnere remaneret. [5] Nos igitur Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, memores conditionis humane, quam semper comitatur ignata fragilitas, dum vite nostre instaret terminus, loquere tamen et memorie integritate vigentes, egri corpore, sani mente, sic anime nostre consulendum providimus, sic de imperio et regnis nostris disponendum, ut rebus humanis assumpti vivere videamur, et filiis

nostris, quibus nos divina clementia fecundavit, quos presenti dispositione nostra sub pena benedictionis nostre volumus esse contentos, ambitione sublata omnis materia scandali sopiatur.

[6] Statuimus itaque Corradum in regem Romanorum et Regni Ierosolimitani heredem dilectum nobis, in Imperio et omnibus aliis empticiis et quoquomodo acquisitis et specialiter in Regno nostro Sicilie. [7] Qui si decedere contingerit sine liberis, succedat ei Henricus filius noster. [8] Corrado vero in Alamania commurante vel alibi extra Regnum, statuimus Manfridum baliu[m] dicti Corradi in Ytalia et specialiter in Regno Sicilie, dantes ei plenariam potestatem omnia faciendi que persona nostra faceret, si viveremus, videlicet in concedendis castris, terris, villis, parentelis, dignitatibus, beneficiis et omnibus aliis iuxta dispositionem suam, preter antiqua demania dicti Regni Sicilie; et quod Corradus et Hericus predicti filii nostri et eorum heredes omnia, que ipse fecerit, firma et rata teneant et observent.

[9] Item concedimus et confirmamus dicto Manfrido filio nostro principatum Tarenti, videlicet a Porta Roseti et usque ad ortum fluminis Brandani, cum comitatibus Montis Caviosi, Tricarici et Gravine, prout comitatus ipse protenditur ad maritimam terre Bari usque ad Polonianum, cum terris omnibus per totam maritimam usque ad dictam Portam Roseti, scilicet civitatibus, castris et villis infra contentis, cum omnibus iustitiis, pertinentiis et rationibus, tam ipsius principatus quam committatum predictorum. [10] Concedimus etiam eidem civitatem Montis Sancti Angeli cum toto Honore suo, scilicet omnibus civitatibus, castris, villis, pertinentiis, iustitiis et rationibus omnibus Honori pertinentibus, scilicet que demanio in demanium et de servitio in servitium. [11] Concedimus et etiam confirmamus eidem quicquid sibi in imperio est a nostra maiestate concessum, ita tamen quod predicta omnia a predicto Corrado teneat et recognoscat.

[12] Item statuimus quod Fredericus nepos noster habeat ducatum Austrie et Stirie, quos a prefato Corrado teneat et recognoscat. Cui super iudicamus dari pro expensis suis decem milia unciarum auri.

[13] Item statuimus quod Hericus filius noster habeat Regnum Arelatense vel Ierosolimitanum, quorum alterum dictus Corradus prefatum Hericum habere voluerit. Cui Hericum iudicamus dari centum milia unciarum auri pro expensis suis.

[14] Item statuimus quod centum milia uncias auri expendantur pro salute anime nostre in subsidium Terre Sancte, secundum ordinationem dicti Corradi et aliorum nobilium cruce signatorum.

[15] Item statuimus ut omnia bona sacre militie Templi, que curia nostra tenet, restituantur eidem; ea scilicet, que de iure debet habere.

